



Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B. Tagmo Ex Clerico Ratispon. Archiep. Magdebvrgensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

B. TAGMO

EX CLERICO RATISPON. ARCHIEP.

MAGDEBURGENSIS.

Dago, Dado, Dudo,
Taginus, Dageno.
C10 XI.

V. id. lun.

Dietm. l. 6.

Arnolph. Com. l. 2.

de S. Emmer. &

VVolfg.

Baron. annal. XI.

anno 1002. & 1011.

Trith. Chron. duc.

Bavar. C10 IIII.

p. 105.

Demochar. de Missa

sacris p. 79. de Mag-

deburg.

H. Camis. t. 2. ant.

lect. p. 84.

Ar. VVion. l. 2. p.

249. c. 25.

P. Langius Chron.

Citizensi.

Crantius l. 4. c. 3.

metrop.

1003.

Dietmarus auctor est, Tagmonē Ratispone à D. VVolf-
gango, quem ille VVulponem vocat, à puero edu-
ctum, locoque filij habitum. Vnde tu facile discas,
Tagmonem omnem virtutis sanctitatem tanquam è
spiritu & ore VVolfgangi hauisse (quod in eius sinu
& gremio adoleuerit) nō secus atq; Elisæus olim ex Elia hauserat.
Cum ex ephebis excessisset, jamq; ad virilē ætatē succreuisset, mira
in cultu vitæ morūmq; compositione prudentia eluxit, quæ res D.
VVolfgangum, cui in paucis charus erat, impulit, vt eum familiæ
regendæ præficeret, vicariæque potestate augeret. Quo in munere
tam circumspectè se gessit, vt in illius cura D. VVolfgangus peni-
tus conquiesceret, omniæque rata haberet, quæ fecisset. Nec alium
sibi in cathedra successorem optabat, quanquam videbat, illum ad
maiorē pontificatū prouectum iri, quod & illi in vltimis ape-
ruit VVolfgangus, cum post decennium sublimiores illi honores
quibus ornandus erat, prædixit. Commendauit eundem pluri-
mum Henrico Boiariæ principi & filio eiusdem, qui postea impera-
uit. Tandem cum Gislerus Magdeburgensis antistes ex ante d.
VIII. Cal. Febr. pallium sacrum archiepiscopi insigne, cum vita ex-
uisset; vt idem Tagmo indueret, D. Imperator Henricus commen-
datione sua effecit: quem ipse pontificatū annos octo, menses
quatuor, dies septem, summa cum laude administravit, decessitque
anno C10 XI. v. id. Iunij. Virtutes eius & laudes quinto & sexto volu-
mine familiaris & comes eius Dietmarus Episcopus Merseburgensis
rudibus, quidem verbis, vt illud seculum ferebat, sed veris, in hunc
modum describit: *Fuit hic egregius clericus VVolfgangi, qui Ratispone sem-
pius pastor habitu & conuersatione monachus, rexerat Ecclesiam. Huic tam
charus erat iste, vt in vice filij à puero nutriens, eundem jam adultum bonis sui-
met omnibus præfecisset. Insuper ducis & imperatoris gratiam in tantum ei ac-
quisiuit, vt si quando se de hac luce, diuina iussione, subtraheret, hunc sibi succe-
surum non dubitaret. Consummato tunc huius exilij cursu. VVulpo in sancti-
tate admirabili venerabilis antistes, cum jam vsque ad mortem egrotare ce-
pisset, accersito ad se dilecto Tagmone, Pone, inquit, fili, os tuum super os meum
accipiens*

B. TAGMO.



Tagmo quid in vultu morituri præsulis heres?
 Præsula cum Sancto vis moriente mori?
 An velut aurigæ celestis pallia vates
 Speras, et duplici vivere vis anima?

Certe seu stantis, seu spectem facta iacentis,
 Spiritus et virtus par in utroque fuit.
 Nam recti cultor similom sibi format alumna,
 Artificem sequitur cora subacta manum.

N 3

accipiens

DE N. TAGMONT. ARCHIEP. M. ADRIAN. 10

B. T. 10



...

...

accipiens à domino insufflationem spiritus mei, ut ubicunque ardore iuventutis incallescere in genuina charitate sis frigidus, à summa potestate, meique benivolentia temperamentum accipias, & si meis honoribus forsitan privaberis, post bis quinos solares annos, cum mea apud dominum luo commissa, maioribus pro certo letaberis. Post hæc vir sanctus cum finem suum in spiritu præficeret, iussit se in Ecclesiam portari, expletisque ab eo orationibus, ceterisque quæ à fratribus facienda erant secum sibi commissis domino commendans, prid. Calend. Octobr. sanctum emisit in pace spiritum. Electus ille ab Universis ad imperatorem venit, sed promissa non percipit, dato tunc ab imperatore Episcopatu Capellano sumet Gebehardo. Committitur huic iste fideliter & quamvis ab eo honorabiliter haberetur, tamen quia bonum & malum non sunt ad aliquid, non longum tempus cum eo ob morum suorum inequalitatem versatur. Adhæsit namq. Henrico tunc duci, & propter castitatem mentis & corporis ei cōplacuit, ac usque ad hunc diem, quam præfatus sum, malis molestè, bonis acceptè per dies & per noctes ei serviuit domino, & hominibus sua specialiter impendere satagens, completurque ob hoc à rege, propter sancti viri ab eodem unice dilecti amorem, veridicum eiusdem vaticinium, decursis tunc, ut ipse dominus Tagmo sepe mihi retulit decem annorum curriculum: qui charissimum sumet dominum ac reginam cum omnibus consocijs multiplicibus, ut decuit, honorat muneribus, nequaquam suæ benignitati adhuc suppetentibus. Inda rex cum eodem ad castellum ipsius nomine Gibigenstein pergens, omnia quæ ibidem ab Gifelero antistite collecta sunt singulariter perspicit, & hæc esse superflua testatur. Dehinc Merseburg diu pastore suo viduatum, consolationis gratia adiens tandem pristinis restitui honoribus quàm maxime conatur. Ibi tunc Tagmo venerandus 1111. Non. Febr. id est vñ ævñ domini, id est obuiatione iusti Simeonis, accepta ab Hilderico antistite licentiâ, qui primus horum in ordine fuit confratrum, à Willigso archipresule Moguntino consecratus est, præsentem rege ac Romano nuncio omnibusque coepiscopis ad hæc fauentibus. Et quia, ut scriptum eius testatur, à solo ordinandus apostolico huc venire propter instantem necessitatem non potuit, ibidem sacri chrismatis delibutione tunc civium implevit numerum, Waltherdo post se omnem committens episcopatum. Et infra de morbo & morte eiusdem: Die sacro pentecostes

Lib. 5. p. 74.

Tagmo Archiepiscopus infirmari cepit, & Missam canere non potuit: Tunc iussus sum indignus hoc officio succedere. Postera die ad modicum convaluit archiepiscopus, & ad regem ambulans se multum commouit, & post hoc in tantum tardatur, ut per se nunquam aliquid facere potuisset. Accersito tunc ad eum fratre meo abbate Sigefrido, ac presule Erico, illis confessionem fecit, & in quinta feria, cum jam inde voluisset pergere juxta caminatum regis, folio portatur suo & elevato à capite pileo dormientem alloquitur seniore: Grates

tibi condignas, domine mi charissime, referat omnipotens dominus de cunctis miserationibus tuis, quibus peregrinum me hactenus visitasti & consolatus es. Et tunc ad Ecclesiam veniens audiuit missam praesentes benedicens. Inde portatur ad nauim, & in ea Wiganstein deductus est. Ibi tum Sabbatho requiebat, & in die dominica juxta urbem suam Squitni vocatam nauigio venit. In secunda autem feria in ipso itinere cum jam pene defecisset, Waltherdum ad se vocauit propositum, eiusque fidei se suosque committens. V. id. Iunii non obiit, sed ad Christum, quem semper amauit, letus abiit. Fit oratio à confratribus cum intermixtis fletibus, & Bodomiles ad regem ad haec indicanda mittitur. Corpus autem archiepiscopi ad Frasam ipso die venit, & ibi sacerdotalibus vestimentis paratum ad sedem suam transfertur & cum ingenti tristitia ab omnibus suscipitur. Postremo addit, Tertia tunc dies erat, qua sacerdos praedictus obierat, quae cum septima & tricesima in vniuscuiusque fidelis exitu, memoriter ob mysterium in se continens celebranda, id est ob fidem sanctae Trinitatis & septiformem spiritum. Ac dehinc corpus benedictum usque ad locum sepulchri carmine & planctu deferitur, ac positum est occidentali parte in choro ante cryptam, quam ipse fecit & consecrauit, & in qua se quam diu vixit, coram altari rogauit sepeliri: ubi idem lachrymabiles saepe effudit orationes. Sed Waltherdus locum hunc in quo nunc pausat, quia non erat dedicatus anima salubrem & introeuntibus conspicabilem dilecto suimet seniori prouidit. Sed quia beati omnes virtutibus suis cum Christo viuunt, & in hoc seculo scriptis, non est bonum, tanti patris inclitam conuersationem silentio tegere, sed veritatis luce omnibus proficius innotescere. Erat hic iustus, timoratus, ac mira charitatis, largus & fidelis, castus ac mitis, prudens & stabilis, canonicus habitu, sed monachus in omni conuersatione sua: vitia in cunctis ob meliorationem asperè carpebat, bona quaeque laudans. Non fuit apud modernos ullus pastor qui confratribus suis familiarior esset, hos amauit, atque coram populis laudauit. In primo ordinationis suae anno templum domino edificare cepit. Presbyteris & Diaconis vestitum suimet VI. Siclis, Subdiaconis autem & inferioribus IV. adauxit. Nisi infirmitas obfisteret, omnidie Missam & Psalterium cantauit, & quia ieiunare ob lassitudinem non potuit, eleemosynarum multitudine redemit. In vigilijs supra modum laborauit, & quia parum manducare ob infirmitatem dentium potuit, potu quamuis mediocri facile satiatur. Nobiles genere & moribus amauit, ignobiles autem non contempsit, sed in sua familiaritate habuit. Cultores Christi dilexit, contemptores autem eius iuste prosequitur odio. Omnia sibi diuina commissa exoluit, & lucrari contendit. Antequam diuinum perageret mysterium, Seuerus fuit & post, omnibus hilaris arrisit, & per saepe cum suis Kyrieelson cantauit. Nequeo ex parte mea numerare, quantum pietatis munus mihi indigno studuisset impendere: hoc tantum scio, quod nunquam illi digna remuneratione de his respondi. Obedienti iam quam ei suisque successoribus in examinatione

natione promisi, minime adimpleui: Harnaburg & Frasan ac Pretin vrbes cum curte vna, qua Esiconis fuit Comitatus, sua acquisiuit Ecclesia. Apparatum episcopalem satis egregium & affluentem congregauit. Octo annos & menses quatuor & septem dies columna Ecclesie sedebat, cadens vt prae dixi praesentialiter, sed inuisibili templo domini translata manet perpetualiter. Idem Tagmo auctoritate sua in concilio Francofurtano praesente imperatore omnes Episcopos traxit in suam sententiam, quantumuis Virzburgerensi repugnante, vt Babenbergerensis pontificatus admitteretur. Idem S. Brunonem Prussorum doctorem inclitum martyrem, iussu Ioannis, quē XIX. hoc nomine pontificē Rom. numerant, Archiepiscopum initiauit. Diuinus ergo pontifex Tagmo Bauariam

Sanctam merito illustrat, cum in ea altus sit
& educatus.

Ditms. l. 6.
Bayen. an. 10 80



S. MACA-